



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1611. usque ad annum 1617

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1777

VD18 90118898

§. 88. Petri Strozzæ responsum nomine Pontificis ad has Literas datum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67313](#)

Sæc. XVII. vero in hoc regno aliqua videris tuo obſ-
A. C. 1615. quio & voluntati gratiosa, jubeat Altitudo
 tua, quoniam ut voluntati tue respondeā-
 mus, totis viribus adimplebimus.

Hæc autem licet exigua ſint dona, quia
 tamen ex longinqua regione adveniunt, cum
 reverentia & timore pauca ex Japonia tibi
 offero, in omnibus aliis nos remittimus ad
 prædictum Patrem Sotelo, & Equitem
 Rotuyemon, & ea quæ ex parte noſtra
 tractaverint, & rata fecerint, ipsa & rata
 eſſe volumus. Ex civitate & Curia noſtra
 Fendai anno decimo octavo ætatis Quecho
 quarto, die lunæ novæ, id est, anno salu-
 tis millesimo sexcentesimo tertio decimo pri-
 die nonas Octobris.

§. LXXXVIII.

*Petri Strozze responſum nomine
 Pontificis ad has literas datum.*

*Bald. l. c.
 Argentre
 Concl. &
 jud. Facult.
 Paris. tom. 3.
 pag. 100.
 Abrege
 chronol. de
 l'hist. Eccl.
 tom. 3. 1617.* Recitatis hisce literis P. Gregorius Pe-
 trocha Ordinis FF. Minorum Japo-
 nensis hujus Regis, Legatorumque no-
 mine alium habuit sermonem, quo ab-
 soluto Petrus Strozza summi Pontificis
 Secretarius Apostolicus eleganti ora-
 tione Legatis gratulabatur, quod ipfo-
 rum Rex divini amoris ardore succen-
 sus Christianam fidem receperit, & ad-
 huc Cathecumenus fidei propagationem,
 verumque Dei cultum apud gentem
 suam

suam summo Zelo curaverit, illosque ^{Sæc. XVII.}
 eadem de caufsa ad Sanctam Apostoli- ^{A. C. 1615.}
 cam Sedem ablegarit, Gaudet summo-
pere Sanctitas sua, prosequebatur Petrus,
& Deo gratias ingentes agit, quod ministe-
rī sui Apostolici tempore. Christi Domini
Evangelium feliciter audiri in Orientalibus
Japonicæ partibus cœperit, ejusque rei num-
tum allatum esse trigesimo tertio anno, post-
quam ex occidentalibus illius amplissimæ In-
ſulæ regionibus primi Christianorum ad
summum Pontificem legati navem conscen-
derunt, quasi vero spes, quæ affulserat ab-
solvendi per totum terrarum orbem prædi-
cationis Evangelicæ circulum, adimpleri,
ac perfici debuerit mysteriosa annorum pe-
riodo, quam humani generis Redemptor in
terris peregrinari dignatus est, divina igi-
tur misericordia fretus, Sanctissimus Do-
minus Noster utique sperat, Regem Idatē
quantocuyus candidam ex fonte Sacri baptis-
matis vestem sumpturum, sicut ad ejus ani-
mæ salutem illum efficacissime hortatur,
qua fiducia amantissime recipit una cum
his Venerabilibus Fratribus suis S. R. E.
Cardinalibus hanc ejus piæ voluntatis de-
clarationem, delatumque per vos sibi, ac
Sanctæ Apostolicae Sedi obsequium, ac ve-
nerationem, Et Deum toto cordis affectu
precatur, ut per immensam ejus bonitatem
perficiat, quod per ineffabilem suam clemen-
tiam in Rege Idate incepit, nihil & ipse

Dd 2

interea

Sæc. XVII. interea prætermissurus, ut quantum cum
A. C. 1615. Domino fieri poterit, ipsius Regis piis ac
 justis desideriis satisfiat, subiectorumque ei
 populorum spirituali solatio opportune pro-
 spiciatur. His peractis Legati denuo
 summi Pontificis pedes religioso oscu-
 lo venerantes, itidem ad suos perho-
 norifice remissi sunt. Petrus vero Stroz-
 za disputationem de dogmatibus Chal-
 dæorum, quam cum Babyloniæ Pa-
 triarcha habuit, typis edidit unacum
 commentario de reconciliandis eorum
 dogmatibus, cum veritate Catholica:
 utramque vero lucubrationem, Roma
 ad Parisinæ Facultatis Doctores die de-
 cima Januarii anno 1617. transmisit,
eo consilio, ut si ipsis forte fuissent ignota
 Chaldæorum dogmata, ex ipsis innotesce-
 rent; & ipse erratorum suorum correctio-
 nem benigne ab eorum humanitate acciper-
 posset, vel aliquam saltem admonitionem,
 lætaturus, si hoc saltem nomine eum in-
 ter suos discipulos connumerare vellent.
 Ad eum autem eadem Facultas die
 prima Aprilis eodem anno perhonori-
 fice respondit, adjecta supplicatione,
 ut summum Pontificem de Facultatis Par-
 sienis vere Catholica fidelitate, honore,
 reverentia filiali necnon de obedientia pro-
 fusa religiosissima certiorem facere dignetur,
 quibus in æternum super omnem Orbis Chri-
 stiani Facultatem Theologicam illum su-
 scire.

stipere, & supremum in terris Christi Sæc. XVII.
Vicarium agnoscere, ac venerari desiderat. A.C. 1615.

§. LXXXIX.

Babyloniae Patriarcha cum suo grege
ad Catholicam fidem reversus.

Sub primis auspiciis Pontificatus Pau-
li V. nonnulli Orientales, ex Baby- Bzovius in
vita Pau-
li V.
lonia, exiguo quodam soli, quod pri-
fæ hujus nominis Chaldæorum urbi fi-
nitimum est, tractu Romam pervene-
rant. Hi populi Christi quidem cul-
tum præferebant, Nestorii tamen, &
Pauli Samosateni erroribus vitiatum:
cum autem hi advenæ in illa Hebdo-
mada, quam *Sanctam* seu *Majorem* di-
cunt, divinæ Passionis mysteria summo
pietatis affectu celebrari, ipsumque
summum Pontificem ipsis omnibus
aliisque pauperibus pedes abluentem,
nechon mensæ accumbentibus pie ac
Religiose deservientem cernerent, tam
mysteriorum magnitudine, quam Pon-
tificis humilitate, ac Religione expu-
gnati, purioris doctrinæ desiderium
concepere, quo inflammati, cum in
patriam rediissent, tantopere Catho-
licæ fidei sanctitatem deprædicabant,
ut Elias, qui per hos annos Babylonie
Patriarcha erat, protinus Legatos Ro-
manum ablegaret, supplex, ut sicut ipsi

Dd 3

se